

Lorenz Bodock

**Laur: a Bodock P.M. in Academia Rostochiensi Professoris Eloquentiae Publici  
Rosa Varniaca Sive Academia Rostochiensis : Ipso die natali annuo nempe 12.  
Novemb. Anno 1644. Coram frequenti magnorum Virorum consessu, & cum  
summa solemnitate In Rosa Fragrante publico sermone expressa**

Rostochi[i]: Richelius, [ca. 1645]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730520293>

Druck    Freier  Zugang



**MK – 7689.23**





AB BODOCK P.M.

emiarostochiensi Professoris  
Eloquentiae Publici

AVARNIACA  
*Sive*  
ADEMIA RO-  
TOCHIENSIS

die natali annuo nempe

12. Novemb. Anno 1644.

n frequenti magnorum  
rorum confessu, & cum  
summâ solemnitate

IN  
SA FRAGRANTE

publico sermone expressa,

theatrica  
mice  
ienia

Rostochi

t apud Johan: Richelium,

Ser. 3: Typographum,

89 23 F. III. Fleury



LAUR: à BODOCK P.M.

in Academíâ Rostochiensi Professoris  
Eloquentiae Publici

ROSA VARNIACA  
*Sive*  
ACADEMIA RO-  
STOCHIENSIS.

*Ipsò die natali annuo nempe*

12. Novemb. Anno 1644.

Coram frequenti magnorum  
Virorum consensu, & cum  
summâ solemnitate.

IN

ROSA FRAGRANTE

*Ex publico sermone expressa.*

Bibliotheca  
Academica  
Rostoviensis

ROSTOCHI

Prostat apud Johan: Richelium,

*Sebast:* Typographum,

Mk-7689

Mk-7689 23

Reverendissimo, Illustrissimo  
& Celsissimo

PRINCIPI ac DOMINO  
**DN. ADOLPHIO FRIDERICO,**  
Duci Meckelnburgico, Principi Vetus-  
tæ Gentis Henetæ, Administratori Episcopa-  
tus, & Comiti Sverinensi, Terrarum Ro-  
stockii & Stargardiae Dy-  
naſtæ,

Cancellario Varniacæ Rosæ  
Magnificentissimo.

Reverendissimo, Illustrissimo

& Celsissimo

PRINCIPI ac DOMINO  
**DN. GUSTAVO ADOLPHO,**  
Duci Meckelnburgico, Postulato Epi-  
scopio Dioceseos Rarzeburgensis, Principi Ve-  
tustæ Gentis Henetæ, Comiti Sverinensi,  
Terrarum Rostochii & Stargardiae  
Dynaſtæ,  
Heroi ad immortalem gloriam  
succrescenti.

Patronis, plantatoribus Rosæ  
Varniacæ clementissimis.

[Am]

*Magnifico*  
Dn. RECTORI, TOTIQUE  
REVERENDO CONCILIO, & PRO-  
FESSORIBUS SINGULIS  
- Magnis Rosæ Varniacæ Columi-  
nibus ac Cultoribus.

*Amplissimo*  
URBIS ANSEATICÆ SENATU & UNIVERSO POPULO  
ROSTOCKIENSI,  
Compatronis Complantatoribus  
Rosæ Varniacæ munificen-  
tissimis.

*Consultiss: Experientissimis*  
Dn. UTRIUSQUE JURIS & MED-  
CINÆ DOCTORIBUS

*Splen-*

Splendidis Rosæ Varniacæ  
ornamentis .  
Donec seniora cultus, observantia,  
honoris, gratitudinis (Deo Au-  
spice) sequantur simula-  
cra.

ROSAM

hanc

VARNIACAM,

submisse

religiose

devotè


reverenter

dicat ac consecrat

M. L A U R: à B O D O C K

in Acad. Rosar. P. Eloq.

Professor.



# ORATIO

(Postquam Phœbus cum Mūsis ju-  
cundam harmoniam fini-  
visset.)

**S**iccine Phœbus à Marte crudeli per  
rot annorum spacia attritus frontem expor-  
tigat? siccinè Musæ acerbis hujus Urbis, Pró-  
vinciæ, ac totius Germatiæ temporibus, in quæ  
quasi factâ impressione corruerunt, quæ vel san-  
guineas lachrymas elicere possunt; siccinè inquit  
ab atroci Bellonâ in luctuosam sortem redactæ,  
suavi concentu sese exhilarant, & abdicatis tristi-  
bus curis justoq; gemitu, jucundâ harmoniâ au-  
gustum hunc recreant consessum? Quid quæso in-  
ter rot cladem tempestates tam læti hodie illis af-  
fulsit? Novusnè Helycon? novusnè Parnassus ali-  
cubi terrarum excitatus? Nam non vulgarem &  
exilèm illam causam fuisse oportuit, quæ Phœbum  
mœrore sopitum, quæ Mūsa cum tam enormi so-  
latij deliquio confistantes in tanta gaudia conci-  
tavit? Scio causam. Illuxit hodie dies natalis annu-  
us almæ nostræ Genitrici Academiæ Rostochiensi,  
ante ducetos viginti & quinq; annos hodiernâ 12.  
Novembr: elapsos, hanc Urbem & Provinciam

A

cum

cum summâ solemnitate salutanti, juxta illud v.  
tustum distichon:

*Casta Lias ornare Deas & fLoribVs artes  
Cœper Vnt rosee CIngere VarnlaDes.*

Ideo Phœbus immemor quasi angustiæ totum se  
in amœnam festivitatem explicat, ideo Musæ flocci  
facientes domesticas crucis natalem Academiæ  
hodiernum ingenti lubentia prosequuntur. Præ-  
clarum sanè ac laudabile factum, m̄hi verò non  
immemor à mulandum. Si enim Roma Urbis à Ro-  
mulo conditæ diem superstitione pietate celebra-  
vit; quindecim Viris sacra facientibus, ignemque  
Vestæ Deæ novum (ut Macrobius lib. i. c. 12. re-  
fert) accendentibus. Si tum Regum, tum privato-  
rum Genethlia, Græcia cum totâ Gentilitate, varijs  
gratitudinis ritibus honoravit; an me publicum  
Academiæ Oratorem, ad ipsius laudes cele-  
brandas, ad decus eius prædicandum evoca-  
tum ac destinatum, hodiernum silentium & ocium  
decebit? Minime. Decebit satius, cum Phœbo &  
Musis lucem hanc solemnem agere, quæ commu-  
nem bonarum meritum Matrem & propagatri-  
cem progenuit, & ex eâ velut illustri propagine  
nobilem ac numerosam familiam doctorum Vi-  
rorum, in varias orbis plagas eduxit. Decebit satius  
felici eius natali annuo gratulari. Quod ut cum  
majori honore ac voluptate ejus faciam, premam  
morem non solum priorum nostrorum, sed vel  
hac horâ consortio mortalium conviventium,  
vincu-

vinculo aliquo amicos intimiores, diebus natalibus ligantium; & inclitam Matrem hanc, non tam ut viverem, quod certè magnum esset, quam quod longè majus, ut benè beateq; viverem, imò quod omnium maximum est, ut æternum viverem fideliter curanter, non aucteo (quod nec fors mea patitur, nec ejus generosa indoles, auro suprainstantiæ aleam posito, ingenij nempe dotibus contenta expetit) verum ex ROSÆ fragrantis, Venetiæ olim ob eximiam pulchritudinem sacra, floribus contexto vinculo vinciam, & per hanc horulam, ab ipso plantationis ejus in hac urbe auspicio, ad nostra tempora ROSAM eximij decoris suisse, ingenij divinitus concessi, ac eloquij modulo ostendam. Tu jam florentissima ROSARUM ACADEMIA, ROSAM insigne famæ tuæ Virtute & doctrinâ partē simulacrum ne ducas despiciatui; quam solam pluris æstimas, quam Persarum gazas, pluris facis quam splendidas lautasq; opes, quæ vel subito turbine quassari, vel in lubrico fortunæ fastigio everti solent. Tu autem Amplissima ac selectissima Auditorum Corona fave obsecro conatibus nostris, eorumq; imbecillitatis benigna mancæ æstimatrix, ut hoc quamlibet exiguum ingenij monumentum, si non suo saltim tuæ auctoritatis judicijq; fulcro stet ad tempora candidæ posteritatis, ejusque gratiam aliquam mereatur.

Supremus hujus Universitatis parens DEUS,  
A 2 rebus

rebus vegetante etiam anima praeditis illustres  
virtutum maximarum impressit icones, ut mag-  
num illud mundi miraculum, praeclaro rationis  
munere ornatum, homo videlicet, animum quoq;  
ipsum reficeret ac erudiret. Quis etenim non ipsi-  
simis usurpat oculis invictae constantiae in palmâ  
imposito onere nunquam fatiscente imaginem?  
Quis non cernit clarissimum in *hyssopo* poeniten-  
tiæ simulacrum? Quis non intuetur manifestam in  
*lilio*, inter carduos excrescente, virtutis in adversis  
florentis effigiem? Et ut ad propositum meum re-  
deam. Quis iam in ROSA ACADEMIAE Ro-  
STOCHIENSIS originem? Quis fortunæ vicissi-  
tudines? quis res præclaræ gestas? quis celebri-  
tatem ejus? quis admiranda emolumenta quibus  
hanc Urbem Megapolim, & totum Orbem Chri-  
stianum afficit, non stupebit? melius equidem, meo  
judicio, in ROSA expressos quam penicillis A-  
pellis aut cœlo Lisippi,

Liber illa (ut inde sumam ROSÆ initium)  
Poetarum gens è sudore semina nomine JONÆ in  
diluculo candidæ, in meridiæ rubicundæ proximâ iam  
nocte viridù ROSAM enatam fuisse affirmat. Sed  
secedat solutionis genij in obtrudendis suis mun-  
do commentis cohors, & si vera loquuta fuerit, de  
suâ origine non superbè glorietur ROSA, in præ-  
claram de dignitate majori contentionem cum  
hac ROSARUM ACADEMIA hodie com-  
missa. Quæ non è sudore fragilis aut obscuræ ali-  
cuius

eu*ius mulietis*, verūm è sudore ILLUSTRISSI-  
MORUM AC CELSISSIMORUM HEROUM  
JOANNIS MAGNI filij, & ALBERTI JOAN-  
NIS patruelis, ALBERTI REGIS SUECIÆ filij  
Ducum Megapolensium æternitati transcripto-  
rum; ut & è sudore AMPLISSIMORUM, PRO-  
CONSULUM, & CONSULUM, CIVIUM  
QUE URBIS EXIMIORVM, lucem hanc publi-  
cam auspicata fuit, solemnique ritu, accerhtis ex  
ERFORDIENSI & LIPSENSI Academijs Profes-  
foribus eruditissimis, factis ab imploratione opis  
divinæ initijs, ordinato Rectore primo PETRO  
STEINBEKIO artium Magistro, per REVEREND:  
Dn: HENRICUM WANGELIN Episcopum Sve-  
rinensem vicesimum primum, ejusdemq; Univer-  
sitatis Cancellarij; per D: HERMANNUM Abba-  
tem Doberanensem; M: JOANNEM MEINESTI  
Archidiaconum, D: NICOLALUM TURCOVIUM  
Ecclesiæ Marianæ pastorem; & D: HENRICUM  
KATZOVIUM Consulem Urbis, Anno salutis re-  
paratæ 1419. in D. Martini profecto, duodecimā  
nimirum Novembribus plantata, varijsque privile-  
gijs à MARTINO V. Summo Pontifice in Conci-  
lio Constantiensi electo dotata tunc & confirma-  
ta. Sudore tum Augustæ & Regiæ prosapiæ Me-  
gapolitanæ, tum Amplissimi Senatus, utriusque  
nempèdote, stipendijs, beneficijs, favorib; plus-  
quam per bina secula inter stupendas fortunæ vi-  
ces, ad hanc ipsam, quâ loquor horam in me liocri

A

flore

flore permanſit, vitamq; ſuam tot adverſitatis pa-  
roximos, tot clymactericas infelicitatis periodos  
perpeſsam, ad tam feram ætatem, fudore, cura vi-  
delicet & ſolitudine horum ILLUSTRISSIMO-  
RUM & AMPLISSIMORUM PATRONORUM  
protraxit. Qui virent prætantius quam JONA  
mulier, gratia ac favoris erga ACADEMIAM  
candore: rubent erga eam amoris flamnis: virent  
vel in ipsa mortis nocte, coelo altissimo reponiti;  
virent ad clepsydram æternitatis, quorum auſpi-  
cijs tanto donario beata eſt Provincia, quibus pro-  
xonetis tantus hujus ROSÆ theſaurus auro con-  
tra carus in hanc Urbem eſt transmissus. Verum  
ad ROSAM oculos mentis inſlectamus. Inter ipsas  
*spinarum* aculeos illa prodiſ, & quæ magis plantu-  
la crescit eō densiores, eō duriores aculeos multo-  
que plures quam flores producit. DEUS immor-  
talis, ſi jam ab ipsa infantia ACADEMIAM hanc  
conſiderem, quid quæſo aliud, quam ROSAM tot  
& tam acribus adverſitatum spinis plusquam per  
binā ſecula obvallatam; & nunc flore decoram,  
nunc infortunij spinis rigescensem, nunc, quod  
ſtuporem meretur, ex illis eluctantem invenio?  
Ita ut ſoli Altissimi adjutorio, ac DEI COELI pro-  
tectioni imputari debeat, quod per tam vaſtam fe-  
culorum ſeriem floreat & fragret. Repetamus ob-  
ſecro paulisper præteritorum temporum memo-  
riam. Floruit ROSA haec octodecim fermè annis,  
& Anno 1432, non mediocre ſuum decus Vene-  
randâ

randâ facultate Theologicâ ab HENRICO & JO-  
ANNE Ducibus Megapolitanis, ab HERMANNO  
Episcopo Sverinensi Academiæ tunc Cancellario  
apud Romanum Pontificē EUGENIUM impetra-  
tâ, en ROSA. Mox Anno 1437. Urbe ob Senatum  
antiquum exclusum, novum subrogatum fulmi-  
ne Excommunicationis à Concilio Basileensi  
percussa , à SIGISMUNDO Imperatore banno  
proscriptâ GRYPHISWALDUM migrat, sexen-  
nium fermè in magnâ inopiâ degit, omnibus bonis  
orbata redit. En SP IN 4. Recolligit subito vires  
suas ROSA hæc, Anno 1443, unius saltim seme-  
stris spacio, non absq; ingenti D EI benedictione  
ducentos & septuaginta duos ad suum odorem al-  
licit, & velut ROSA è spinis sic illa è pessuris ac  
miseriâ . ad quam ipsam infelix abitus ac redditus  
detruserat, emergit. en ROSA. Grassatur postmo-  
dum Anno 1464. in Urbe pestifera lues, multi qui  
ad hanc ROSAM confluxerunt hominem exu-  
unt, ROSA fermè tuto anno languet, nec suum de-  
cus per studia & promotiones exerere valet. en  
SP IN 4. Jam (ut profundiores ROSA hæc radices  
agat) à MAGNO Duce Megapolensi Ædes paro-  
chialis D Jacobi, Anno 1484, in Collegiatam Ec-  
clesiam præsente BALTHASARE MAGNI Fra-  
tre, duobus pontificibus CONRADO LOSTIO  
Sverinensi ordinario & JOANNE PARKENTI-  
NIO Raceburgensi, & executore Apostolico, pre-  
latis plurimis & militariibus, nec non BARTHOLDO

KIRCKHOFF, GERHARDO BOCKFELDO, Vicco ab HER-  
VORDEN, ARNOLDO HÄSSELBEKE Consulibus, to-  
toq; ferè reliquo Urbis Senatu, cum summâ solem-  
nitatē dedicatur, Capitulum Venerabile creatur,  
novus Collegij præpositus principum quondam  
Cancellarius THOMAS RODE, novus Decanus  
HENRICVS PENTZE, novus Cantor IOAN-  
NES THUNN, nouus Scholasticus & thesaura-  
rius LAUREN: STOLTENBURG eligitur, mag-  
na festivitas ab omnibus celebratur. *en ROSA.*  
Vix dies aliquot in hilaritate publicâ consumun-  
tur, furit plebs sola huic factō infensa, Cancellarius  
in publicum canalem, ante mediæ lunæ Collegij,  
teste hodierno lèpide ad has ædes erectio protrudi-  
tur, lapidibus & cœno obrutus, vitâ spoliatur. De-  
canus novus ex Spiritu S. Xenodochio, inter ve-  
tulas latitans extrahitur, turri infanii Vir grandæ-  
vus includitur, tota Urbs clamore incoadito, tu-  
multu horrendo repletur, obfessio eius ac quir-  
quennale bellū inter ipsam & Principes sequitur.  
ACADEMIA hæc desolata velut ROSA flac-  
cens, Lubecam Anno 1487. proficiscitur *en*  
*SPINA.* Excipitur cum summo honore à SENATU  
MAGNIFICO, Rektoratum ibidem M. AR-  
NOLDO BODENSENIO continuante, repetit re-  
bus compositis postliminio sedem suam, non agin-  
ta sex adolescentium inscriptione, uno mense Ma-  
jo, Anno 1492. lætatur, promotione 53. Baccalau-  
reorum, Decano M BARTHOLD O MOLLE RO,  
Anno

Anno 1506. gloriatur, & usque ad annum 1518. tum  
studiorum assiduitate tum disciplinæ gravitate flo-  
ret. *en ROSA.* Rursus contagio Urbem hanc  
mortibus plurium deformat, Juventus noui avida,  
vel ad LUTHERUM recenter indulgentias  
Pontificias reprehendentem, Wittembergam: vel  
ad CONRADUM WIMPINAM Francofurtum  
abit, Professores omnes ferme secedunt, Academia  
Anno 1530. deserta, cum ingenti suo contemptu,  
unicum saltim D. NICOLAM LEONEM, sex-  
ennium munus RECTORIS obeuntem retinet.  
*en SPINA.* Advenit postmodum ex aulâ HEN-  
RICI Principis Megapolitani. Vir excelsæ & So-  
craticæ mentis ARNOLDVS BURENIUS, princi-  
pum Juniorum MAGNI & PHILIPPI, HEN-  
RICI filiorum pædagogarcha, hic cum alijs Viris  
celeberrimis, tum ab ILLUSTRISSIMIS  
PRINCIPIBUS, tum ab AMPLISSIMO  
Senatu vocatis Anno 1544. marcescentem quasi  
ROSA M hanc novoflore induit, mediocri mul-  
titudine populatim confluente cum alijs docet, suâ  
industriâ & dexteritate conninctis cum alijs nem-  
pe cum ANDREA EGGERDES, & HENRICO  
PAULI, operis, in doceendo literarum studia ac-  
cendit, totusque dignus immortali honore in RO-  
SÆ hujus dignitatem ac venustatem totus in-  
cumbit. *en ROSA.* Intercedunt postea, proh dolor  
luctuosæ inter Principes & Senatum de hujus  
ROSÆ primario decore videlicet privilegijs, de

A S

eius

ejus constitutione, concilio, libertate; lites per annos aliquot cum partium & Academiæ dispendio protrahuntur. *en SPINA.* Tandem Anno 1563. sponiantur & componantur felicissimè cuncta disfida, ex Principum Illustrissimorum & Senatus Amplissimi Professoribus, unum Academiæ corpus coagmentatur, primus Apollo, praesidens Musis & Musarum sacerdotibus, Anno à primâ fundatione Academiæ, certissimo quadragesimo quarto, DAVID CHYTRÆUS, Deus Bone! qualis Vir? eligitur. ACADEMIA Professoribus ad stuporem Orbis literati doctis, ac eorum indefessa doctrinâ per annos aliquot floret. *en ROSA.* Verum revertitur tertia vice sevissima lues, septem Professores celeberrimos, quadraginta octo studioso, octo millia hominum in Urbe tollit, novæ lites inter Academiam & Senatum excrescunt, intestina seditio Civium Anno 1565. fervet; hanc JOANNES ALBERTVS Dux Megapolitanus à Senatu invocatus compescit, arcem contumaciam domi ricem, mœnibus dirutis extruit; Bellum crudele cum Uebe recrudescit. *en SPINA.* Ad extremum Anno 1573 diremptis inter Celsissimos Principes JOANNEM ALBERTUM & ULDARICUM Duces Megapolitanos, in festo S. Matthæi in sempiternam recordationem Urbi huic quotannis sacro pax sincera, pax firma profert deuò amabilem faciem per annos aliquot pedibus calcata, ROSA expromit altam mentis suæ

sua indolem, per jacluras, pudores, calamitates  
his septuaginta & septem annis crescit, ex  
hodiernis etiam transactionibus, & litibus foren-  
sibus nondum perfectè sopitis, imo ipsis casibus  
compendia quærens, vim suam roburque, ad hodi-  
ernam 12. Novembris Anni hujus 1644. excitat,  
masculo pectore tum excipit; tum perfert proca-  
cis fortis insultus, gravata licet pressaque tot cladi-  
bus velut spinarum aculeis, sese victrix erigit, & ex  
adversis sua laudis & gloriæ capit argumentum.

**R O S A.** Cujus constantiam dum accuratius per-  
pendo, non jam miror *Cedrum* carie & tineâ vel  
per unum seculum impenetrabilem, non jam mi-  
ror *Cypressum*, & ex eo statuam *Jovii* in Capito-  
lio quondam per bina secula incorruptam. Sed  
miror & stupeo hanc unicam **R O S A M V A R-**  
**N I A C A M**, ducentis viginti & quinque an-  
nis forti ac invicto corde tristitatem temporum,  
præteritas ærumnas, & hodiernam inopiam exci-  
pientem; jureque merito illam his, quæ quondam  
*Rurilius* protulit, verbis compello:

*Ad vespera solenne tui sperare secunda*

*Exempli cæli dicta damna subi*

*Astrorum flammæ renovant occasibw ortus*

*Lunam finiri cerni ut incipiat.*

**R O S A E** inter alios flores **R E G I A M A J E S T A S** ac  
dignitas debetur, teste *Anacreonte Poeta*, qui unani-  
mi quasi Poetarum suffragio **R O S A E** regnum bisce-  
versibus detulit.

*Si*

Si floribus velles  
Juppiter imponere regnum.  
Excedens Rosa flori  
Est veri Rosa curæ  
Et grata Superè Rosa.

Quid jam de nostrâ ACADEMIA dicam? REGIA M illa sañè MAJESTATEM præ se fere, REGIUM decus eius magis quam aliarum in Orbe Christiano Academiarum elucefecit. Nonne REGINA est, quæ ab ipsis Imperatoribus Sacragissimis, FERDINANDO, FRIDERICO, à Summis Ecclesiæ Romanæ Pontificibus MARTINO V. INNOCENTIO VIII. EUGENIO, Regiam obtinet dignitatem? Nonne REGINA est inter Academias, velut ROSA inter flores, quæ instar Regum inviolabilium Iurisdictionem secularē & spiritualem Regibus ipsis communem exercet? Nonne REGINA est quæ distinctum ab Urbe Magistratum possidens ire quorsum vult, redire quando vult, ubiqueunque Regiam suam auctoritatem ostentare potest? Nonne REGINA est quæ Illustri sceptrorum Regiorum investituræ ac Regio insigni præfulget, & ad suum Regium splendorem luculentius demonstrandum, neminem nisi Episcopum Suerinensem, & hodie Romani Imperij Principem CANCELLARIUM admittit. Senserunt hanc REGIAM hujus ROSE eminentiam Celsissimi, etiam Regio sanguine progeniti Heroes, quorum gloriam in thea-

in theatro æternitatis collocatam nullo délebilis  
ævo fama loquetur. Senserunt inquam & fasces  
purpuramq; ejus post primum illum Academæ  
Rectorem M. PETRVM STEINBEKE Virum  
suo seculo celeberrimum, non erubuerunt. Sensit  
BALTHASAR DUX Megapolitanus MAGNI  
III. Ecclesiæ Cathedralis fundatoris frater, HEN-  
RICI pinguis filius JOANNIS hujus ROSÆ  
plantatoris Nepos, Princeps tantæ ob suspicienda  
animi dona celebritatis, ut ejus fama etiamnum  
viventis sese ad omnes telluris oras penetrarit.  
Sensit ERICUS Dux Megapolitanus MAGNI  
III ausis & nomine magni filius, HENRICI pacifi-  
ci, Principis æternis digni gratijs, & ALBERTI  
frater, HENRICI pinguis nepos, nostri verò Princi-  
pis clementissimi hodie Provinciam hanc guber-  
nantis ADOLPHI FRIDERICI patruus mag-  
nus, Princeps ad literas suo genio natus, suoq; tem-  
pore solus ferè eruditio[n]is famam sustentans. Sen-  
sit WILHELMVS Brunsvicensium & Lunebur-  
gensium Dux, ipsa Virtutum heroicarum imago  
& natura. Sensit WILHELMVS Curlandie & Semi-  
gallie Dux mansuetudinis, humanitatis sacrarium,  
uno verbo, virtutum thesaurus. Sensit V DAL-  
RICUS FRIDERICI II. Daniæ Regis filius,  
CHRISTIANI IV. hodie ad gloriam seculi  
regnantis frater, Slevici & Hollsatiae Dux, Heros  
sue ætatis oppidò strenuus & celeber. Sensit Au-  
gustus & vere præclarè factorum gloriâ Augustus

Brun

Brunsvicensium & Luneburgensium Dux Musas  
cum maiestate raro hodie convenientes, non tam  
aestimans quam exemplo suo aliis commendans;  
publicè in hac Academiâ cum æternâ laude disputans,  
perorans, magnisque favoribus omnes ejus  
Professores sibi obstringens. Sensit WOLFF-  
GANGUS Comes ab Eberstein, terræ Neugardie  
Dominus. Sensit THEODORICUS Episcopus Sebastensis & diœcesis Sveriensis in Pon-  
tificijs Vicarius. Sensit JOHANNES GUSTA-  
VUS ROSA Succus, Comes in Bosunt & in Lu-  
denholm Dominus. Sensit JOANNE S CY-  
RIACUS in Polheim & Wartenberg liber Baro.  
Senserunt omnes alij, quos temporis angustia no-  
minare vetat, tum togatâ, tum bellicâ virtute in-  
signes Heroes, quorum nomina in albo annali-  
busque Academicis æternitati adscripta servan-  
tur,

*Donec erit ROSEIS fama illa aut gloria  
Musas.*

Qui inter ceteros Virtute & Eruditione conspi-  
cuos Viros ad clavum hujus ROSÆ, diversis tem-  
poribus publici eius Rectores federunt. Quæ vel  
hoc ipso palmam ROSÆ naturali præripit, quod  
nusquam colorem candidum mutaverit, quem  
ROSA mutare, rubicundumque à Venere (ut  
poetæ referunt) calcata assumere debuit. Integer-  
tim enim semper virtutum omnium cando-  
rem ROSA hæc retinuit, nunquam ob malefacta  
rubo.

rubore; quasi sanguine suffundi didicit, nunquam  
pravae Veneris pede, obsecnæ nempè voluptatis  
affectu deformata, quid dico deformata? ne qui-  
dem vel semel per hæc bina secula tacta fuit; sem-  
per cœlum terræ præferri docens, nihil aliud quam  
pietatem, religionem, omnesq; virtutes & ipsa ani-  
mitus amplectens, & alijs sedulò commendans. Ne  
quidem semel à Veneretacta, quæ ipsam ut & eius  
delicatulos clientes exaceratur, quos cùm vel minim-  
um attingit, ah quibusnam sordibus non in-  
quinat? quibus vitijs animos non inficit? ad sum-  
mum, ultricis conscientiæ furias, squalorem, podo-  
rem ignominiosum, velut rubicundum ac sanguineum  
colorem, mœstiam denique suis amato-  
ribus, præclarum (si Dijs placet) relinquit autho-  
ramentum.

R O S A M tanti fecerat antiquitas, ut erudi-  
tum & facundum huminem audiens, R O S A S lo-  
qui dixerit. Ovidius, amorum ille curiosus arbiter,  
eiusdem puellæ suadam elegantem obstupecens, sa-  
fast, cecinit:

Dum loquitur vernas afflat ab ore rosas.

Nutricula quoq; Persiana sui alumni eximias conspi-  
cata doles, eiq; faustos successus appreccata inquit:  
Quicquid calcaverit, id Rosa fieri. Quid quæso  
ACADEMIA hæc dintius quam ducentis annis  
loquuta est? R O S A S. Quid manibus ac calamo  
operata? R O S A S. Quid luci publicæ commisit?  
R O S A S. Quid gressibus iphis pressit? R O S A S.

Loquuta

*Loquuta & operata ROSAS per AURIFABRUM  
DRACONITEM, KITELLUM, TILEMAN-  
NUM HESHUSIUM, SIMONEM PAULI,  
DAVIDEM CHYTRÆUM, LUCAM BACK-  
MEISTERUM, JOANNEM FREDERUM, VA-  
LENTINUM SCHACHTIUM; DAVIDEM  
LOBECHIUM, PAULUM & JOANNEM TAR-  
NOVIOS, EILHARDUM LUBINUM, CHRIS-  
TIANUM SLEIDANUM, JOANNEM AF-  
FELMANNUM, JOANNEM KLEIN, STE-  
PHANUM CLOTZ, nunc generalem ~~to~~ffetia  
Superintendentem SAMUEL EM BOHLIUM desa-  
derium sui pluribus hodie excitantem, & per  
alios (quos religioso silentio colo) summos Theo-  
logos, fulgentissima Divinæ facultatis lumina, pul-  
cherrima virtutum Theologicarum theatra. La-  
quuta & operata ROSAS per JOANNEM OL-  
DENDORFIUM, LAURENTIUM KIRCHOVIUM, JO-  
ANNEM BORCHOLTUM, MICHAELEM GRASSUM,  
ANTONIUM FREUDEMANNUM, ADAMUM TRATZI-  
GERUM, MATTHÆUM ROSELERUM, JOANNEM GE-  
ORGUM GODELMANNUM, MARCUM LUSCOVIUM,  
BARTHOLOMÆUM CLINGIUM diuinus quam quin-  
quaginta annos cum immortali laude docentem,  
HENRICUM CAMERARIUM, ERNESTVM COH-  
MANNUM, HAIONEM à NESSA, FRIDERICUM HEI-  
NIUM, THOMAM LINDEMANNUM, & per alios  
(quos piâ taciturnitate veneror) Jurisconsultos  
famosissimos, vel satius abyllos eruditionis, Do-  
ctorum*

ctorum soles, maxima naturæ opera & miracula,  
veneranda quædam consiliorum delubra & ora-  
cula. *Loquuta & operata Rosas* per JANUM CO-  
NARTUM, IACOBUM BORDINGUM Principum Me-  
gapolensium & CHRISTIANI III. Da-  
niæ & Norwegiæ Regis Archiatrum, JOAN-  
NEM TUNICHEUM, LIDELIUM, HENRICUM BRUCEUM,  
GUILHELMU LAUREMBERGIUM, & per alios ( quos  
modestè prætereo) Viros in medicitâ ipsi Æscu-  
lapio stupendos, quorum nomina hodie etiam  
splendore suo, ultimos Orbis literati limites excel-  
serunt. *Loquuta & operata Rosas* per ALBER-  
TUM CRANTZIUM, IGNATIUM HANNIELEM, NI-  
COЛАM MARSCHALCUM Thurium, NICOLAUM  
BAUMANNUM, discerptos illos ex æternitate ani-  
mos, quidquid ab orbe condito anthalium aut hi-  
storiarum monumentis proditum est ab interitu  
vindicantes, & in orbis terrarum memoriam sem-  
piternam, cum suâ æternâ famâ spargentes. *Lo-  
quuta & operata Rosas* per illum ARNOLDUM  
BURENIUM, è cœlo olim sibi cum interitu fermè  
luctanti delapsum. *Loquuta & operata Rosas*  
per JOANNEM BOCERUM poëtam tersum; per JO-  
ANNEM POSSELIUM Græcum facundum; per JO-  
ANNEM SIMONIUM Oratorem eximum; per  
JOANNEM CASSELIUM Poetam & Oratorem elo-  
quentem; per NATHANAЕM CHYTRÆUM philoso-  
phum acutum; per MATTHÆUM FLACIUM Ilyri-  
cum Philosophum subtilem; per BRASCHIUM

B

Postam

Poetam iuavem; per SLEKERUM physicum profundum; per JOANNEM KIRCHMANNUM Poetam & Philologum accuratum; per JOACHIMUM JUNGIUM Mathematicum ac Philosophum cum rariis hodie comparandum; per LAURENBERGIO<sup>S</sup> tam disertos & eruditos, quasi ad ipsam Heliconis ripam natū & enutriti suissent. Sed tacet ne hodie, aut nihil societatis dedita agit? minimē. Loquitur & operatur ROSAS per suos hodie viventes, præsentes & absentes omnium facultatum Professores. Loquitur & operatur ROSAS per JOANNEM QUISTORIUM, & JOANNEM COTHMANNUM SS. Theol: Doctores, ac Professores celeberrimos, per LUCAM BACKMEISTERUM, HERMANNUM SCHUCKMANNUM Philos: Magistros, SS. quoque Theol: Professores dignissimos. Loquitur & operatur ROSAS per LAURENTIUM STEPHANI Illustrissimi ac Reverendissimi Principis GUSTAVI ADOLPHI Consiliarium, per ALBERTUM HEINIUM Illustrissimi ac Reverendissimi Principis ADOLPHI FRIDERICI Consiliarium, per HENRICUM SCHUCKMANNUM Illustrissimi ac Reverendissimi Principis Megapolitanij, æternæ memoriae JOANNIS ALBERTI, quondam Consiliarium; nunc Consistorij Ducalis ASSESSOREM, per NICOLAUM SCHUTZIUM Venerabilis Capitulo Lubecensis Syndicum, per HENRICUM RHANE, per JOACHIMUM SCHNOBELIJM, decora Juridicæ facultatis cum rariis comparanda. Loquitur & operatur ROSAS per JACOBUM FA-

BRI-

BRICIUM Serenissimi Regis Daniæ CHRISTIA-  
NI IV. Herois mansuetissimi Archiatrum; per  
JOACHIMUM STOCKMANNUM Urbis hujus Physi-  
cūm ordinariū. *Loquitur & operatur ROSAS*  
per JOANNEM HUÆDELIUM Ethicum, per JOA-  
CHIMUM LUTKEMANNUM Physicūm, per ANDREAM  
TSCHERNINGIUM Poetam, per GASPARUM MAURI-  
TRIUM Logicūm, per AUGUSTUM VARENIUM He-  
bræum, quorum omnium hujus ROSÆ Profes-  
sorum meritissimorum laudes in Orbis memoriam  
perennem disseminatas ac disseminandas lubens  
fusius deprædicarem, nisi eas, præsentibus vel vi-  
venib[us], pro eximiâ rarâque in tanto eruditionis  
& honoris fastigio animi demissione, molestas &  
in gratas fore nossem. *Loquitur quoq[ue] & operatur*  
ROSAS per facultatum Juridicæ & Medicæ Do-  
CTORES, hanc Vrbem celebrem inhabitantes; quo-  
rum si doctrinam species ertiditissimos, si usum pe-  
ritissimos, si ingenium perspicacissimos, si condi-  
tionem nobilissimos compries. *Loquitur & ope-*  
*ratur ROSAS per zelosissimos MINISTROS*  
VERBI DEI, quod non ferrum, non adamantem,  
non emortuum in terrâ semen, sed invictum ho-  
minis animum, hominem inquam ipsum alterum  
mundi Deum trahit, emollit, & in se ipsum con-  
vertit. *Ad ROSAM jas redeo; cuius oleum nisi-*  
*duim si quā in Principum conspectum prodire cupiens,*  
*phialâ contentum manu dentrâ quondam teneret,*  
*Herorum liberas mentes quoq[ue] vellet flectere, sum-*

mosque favores à Principibus qui cogi nolunt (scilicet  
apud Pierium Valer. lib. 55. C. de Rosa Idolorum ma-  
gū) extorquere poterat. Tantam sanè vim Rose-  
inesse antiquitas credidit, ita ut & ipsi Poetæ, quid-  
quid aliena corda devincire, & ad se pellicere de-  
prehenderint ROSEUM appellarent. R. O.  
SEAS Parcarum vittas CATULLUS dixit.

At rosea niveo resident in vertice vitta  
Roseos auroræ capillos MA RO nominavit.  
Aurea fulgebat roseū aurora capillū.  
Roseas genas PONTANUS nuncupavit.  
Extinxit roseas purpura missa genas.

Sanè virtutem illam conciliandi Magnatum ani-  
mos, minimè cum superstitione Prioritate R. O.  
SIS concedam. Verum id partim annalibus  
ACADEMIÆ partim auctoribus fide dignis,  
partim ipsa experientia edocitus affirmare audebo;  
ROSAM hanc plurimis summos Principum,  
Regum, Imperatorum favores, honores concilia-  
se, plurimos oleo bujus R. O. SÆ doctrinâ videlicet  
& virtute inunctos, ad honorum cacumina ab Or-  
bis Heroibus & Monarchis enectos esse. Dies me  
deficeret si in hunc locum omnes oleo bujus R. O.  
SÆ inunctos adducere deberem. Aliquos autem  
silentio præterire nolo. Inuncti quondam oleo bu-  
jus R. O. SÆ, LAURENTIUS NIEBUR, JOANNES BU-  
RIUS, BARTHOLOMÆUS CLINGIUS, FRIDERICUS  
HEINIUS, HENRICUS CAMERARTUS, MARTINUS  
KEMNITIUS, ERNESTVS COTHMANNUS, NICOLAUS  
WIL-

WILLEBRANDUS, THOMAS LINDEMANNUS, STUN-  
TIL pater & filius, ANTONIUS AFFELMAN-  
NVS, qui (vt alios Jurisconsultos & plerosque  
Professores taceam) oleo hujus Rosæ inuncti, ani-  
mos sibi Principum, Regum, Rerum publicarum, ob-  
strinxerunt, Consiliorum, Cancellariorum, Con-  
sulorum, ac Syndicorum provincias possederunt, sub-  
sellia aularum, curiarum ROSA'S loquentes im-  
pleverunt. Vivunt hodie quoque oleo hujus RO-  
SÆ inuncti, & Professores ejus in orbe literato  
celeberrimi, singulares favores, honores Princi-  
pum & Regum adepti. Vivit LAURENTIUS  
STEPHANI, Celsissimi Ducis Megapolitani  
GUSTAVI ADOLPHI Consiliarius &  
hujus Rosæ Professor. Vivit ALBERTUS  
HEINIUS Reverendissimi ac Illustrissimi Prin-  
cipis ADOLPHI FRIDERICI hodie in-  
star Atlantis humeris suis compagem Megapolita-  
ni Orbis sustinentis Consiliarius & hujus ROSA'  
Professor. Vivit JACOBUS FABRICIVS  
Venerandum illud Aesculapij alterius caput, Ser-  
nissimi ac Potentissimi Daniæ & Norwegiæ Regis  
CHRISTIANI IV. Herois virtutibus invi-  
diā ipsam & fastigium yincentis Archiater, &  
hujus Rosæ Professor. Qui omnes oleo hujus  
Rosæ inuncti, & honoribus & rerum gestarum  
gloriâ florentissimi, corda Principum ac Regum  
rapuerunt; eos, miti quadam servitute in pectori-  
bus ipsorum concitatâ, ad ingēntes favores, ad sub-

Iimiā munera tibi exhibenda a degerunt , ab hac  
ROSA ad eorum existimationem pervenerunt  
illisque gratissimi r̄hēdas prō pulpit̄is concende-  
runt. Sed quid Jain dicā de alijs , in diversis Re-  
gum, Principum aulis, in pluribus Rerum publica-  
rum Curijs spartas suas exornantibus ? Vivit  
**DETLOW REWENTLOW** Serenissimi  
ac Potentissimi Dāniæ ac Norwegiæ Regis **CHRI-**  
**STIANI IV.** Cancellarius Germanicus , &c.  
&c. Vivit **THEODORUS REINKING**  
JCTVS, Comes Palatinus , Serenissimæ Regiæ Ma-  
jestatis Dāniæ: item Archi & Episcopalis Bre-  
mensis & Verdensis : necnon Hassiacus respectivè  
Consiliarius & Cancellarius. Vivit **JOANNES**  
**COTHMANN**, Comes Palatinus , Illustrissimi  
ac Reverendissimi Principis **GUSTAVI ADOL-**  
**PHI**, Ducis Megapolitani Divini in Juventute He-  
rois Cancellarius. Vivit **CHRISTOPHORUS**  
**von der Lippe** J.U.D. olim **SOPHIAE** Viduæ  
Reginæ Daniae, nunc **CHRISTIANI IV.** Dan:Nor-  
weg. Regis Consiliarius. Vivit **JODOCUS**  
**GRAWIUS** J.U.D Serenissimi ac Reverendissimi  
Archiepiscopi Bremensis &c. &c. &c. Princeps  
domi forisque favorabilis . publicæ salutis pro-  
curatoris Consiliarius. Vivit **THEODORUS**  
**LENT** ejusdem Reverendissimi ac Serenissimi  
Archiepiscopi Secretarius. Uivunt **CHRISTO-**  
**PHORUS GERDS** J.U.D. **HENRICUS**  
WE-

WEDEMHOFF , ANTONIUS COLERUS,  
J.U.D. Consules inclutæ Urbis Lubecensis. Vi-  
vunt ALBERTUS von Heitzen J. U. L. UL-  
DARICUS Wineckel J. U. L. JOHAN-  
NES BRAND. J U. L. BARTHOLDUS  
MULLER J U. L. Consules inclutæ Urbis Ham-  
burgensis. Vivunt JOHANNES LU-  
THERMAN Comes Palatinus, BERN-  
HARDUS CLING , NICOLAUS  
SCHEFFENBERG . JOANNES PE-  
TRÆUS Consules inclutæ Urbis Rosto-  
chensis. Vivunt BENEDICTVS WIN-  
CKELERUS J. U. D. & DAVID GLO-  
XINIUS J.V. D. Reipubl. Lubecensis Syndici.  
Vivunt N. N. MEURER J. U. D. &  
PRUDERUS PAULI Syndici Reip:  
Hamburgensis ; qui omnes Viti famæ & existi-  
mationis suæ limites oleo hujus rosæ quondam  
inuncti, adeò extenderunt; aut si jam quò crescat  
laus non habet, incomparabili virtutis suæ & eru-  
ditionis oleo amicâ verò ac benevolâ hujus RO-  
SE VARNIACÆ recordatione in sublimi honorum  
sede fruuntur. ROSE jam pulchritudo o-  
culos omnium jure merito suspensos tenet,  
& licet ramos foliaque sua in altum plantula  
hæc non mittat, odorem tamen suavissi-  
mum , & quidem longè excelsius sublimiusquè  
quam Cedrus & palma frondes ac fructus suos ex-

tenuit, revero solo odore se se jactare videatur,  
cordis tremorem sedat, oculis mirè conductit; im-  
probos humores resolvit & purgat, sylvestris eti-  
am melle condita, venenatis canum morsibus  
medetur, pluresq; alias singulares virtutes obtinet,  
quas Eusebius lib. 8. de præp. Evangelij, Cap. ult.  
Veneratus, Rosam non solius voluptatis sed uti-  
litatis summæ causâ à supremo Naturæ conditore  
esse creatam affirmat. Couverte jam quisquis vo-  
les oculos in ROSARUM ACADEMIAM,  
anne non instar ROSÆ pulcherrimam esse fa-  
teberis? quæ se nulli alteri quam virtuti, Lucifero  
pulchriori, Hespero candidiori consecrat, illamq;  
animitus amplectēdam publicè & privatim docet;  
quæ peccata, quib⁹ quid foedius natura producere  
potest? suis doctrinæ simulacris detestatur, quæ  
voluptatibus deterrimis, blandiente vi & arte pro-  
ditoria mentes mortalium inquinantibus irrecon-  
ciliabiles inimicitias indicit. Fateor non in altum  
mittit folia sua, quæ soli Deo altissimis defixa radí-  
cibus omni angore soluta consistit, ad infimum  
etiam turbata locum, in Deo velut in portu quo-  
dam conquiescit, & nec amissi favoris, nec fortunæ  
præcipitatæ, nec miseriæ præsentis vento ac ne tur-  
bine quidecum agitatur; immo mundo major supra quo  
casus varijs posita, erecto animo despicit hæc ina-  
nia vanaq; mortalitatis, quibus non aliter homi-  
nes plerique, quam exiguorum foliorum nodo al-  
ligantur. Fateor non in altum motæ Cedrorum fo-

lia

lia sua diducit, non superbè nimirum ad instar mudi-  
danorum, rebus his caducis confidit, quæ brevi in-  
star lubricorum foliorum dilabuntur, & non aliter  
ac spolia temporis, fortunæ ludibria, stant, cadunt,  
veniunt, abeunt, crescunt, decrescent, & cum ea  
æternum quasi mansura affluxisse credat fatua  
mortalitas, Euripo citius reflueret conservarentur.  
Non in altum folia sua exporrigit, non de opibus  
videlicet ac mundi hujus bonis gloriatur, quæ ni-  
hil prolsus præter Herculeos labores, nihil præter  
miserias Sisiphias. nihil in loculis præter vacuū de-  
quo tantæ in phisicis contentiones possident. Vix  
aliquando in hac calamitate Germaniz Xenocra-  
tis caseum nanciscitur. Citius proh dolor ! fene-  
stras ejus sol aliquando ingreditur, quam in cani-  
strum panis, & dum alij oculos & mentes illece-  
bris pascunt, illa ubi cunq; aciem dirigit, pauperi-  
mam sese, stipendijs ac salarijs orbam cernit, ni-  
hilq; aliud hodie quam dolium Diogenis intue-  
tur. sed parvi illa hac, citius quam folia ex arbo-  
ribus cadere conserventur peritura fortunæ missio-  
nia faciens, veris ac proprijs dotibus, nulli vicissitu-  
dini obnoxij bonis, virtute nimirum & eruditio-  
ne fatam suam velut odorem fragrantissimum,  
longius quam Cedri, quam mundi hujus delicati  
amasij spargit, & dum paucos opulentos seculum  
non dico alterum sed suum novit, dum pauci  
purpuram non cum ipsâ vitâ deponunt, dum pau-  
corum regum Orbi nota nomina, neq; magis

quam vrnæ quibus integuntur ( quod enim quo-  
so inter Regū & viliis plebis cinereim discrimen?)  
hæc hæc ROSA VARNIACA, odore etuditorum  
Virorum, scriptorum fragræ odore famæ totum  
Orbem literatum replet, plus odoris, famæ scilicet,  
literis, è viris quo's semper habuit & habet claris-  
simis, quam alij Heroes ex vanâ gloriâ folio levio-  
ri reportat; qui jacent sepulti cineribus densâ se-  
cutorum nocte oppressi, dum hæc R O S A plus  
quam per bina seculâ, tot licet infortunijs detrita  
oleat, dum deniq; ad eus odorem tot gloriæ laudi-  
que destinatae Juventutis millia, tot æratibus ac se-  
culis concurrerunt, & nunc etiam cursu indefesso  
currunt, postmodum autem virtute illius mirabi-  
li resecta confortataq; publicis & privatis muneri-  
bus Rempublicam, Ecclesiam, Seculum exornant.  
Immensis verò hujus R O S Æ utilitatibus verba  
saq; desunt: quot enim (obsecro) ACADEMIA  
hæc cordis tremores dispellit? dum æternæ salutis  
fiduciam confert; dum sapientiam instillat, quâ  
quis munitus adversus omnes æraminas firmat pe-  
ctus, alacri gradu imò cursu per omnes calamita-  
tes, nullum cordis tremorem sentiens, incedit,  
quot effrenatos R O S A hæc Balthica compescit  
affestus? dum porrigit Orbì Christiano literas, qui-  
bus quasi harmoniâ cœlesti defervescunt, & ad æ-  
quitatem revocantur pestiferæ permotiones in  
animæ perniciem incitatæ, quot improbos vitio-  
rum humores ad nihilum redigit? dum nil nisi  
pieta.

pietatem in DEUM & proximum, nil nisi religio-  
nem omnesque virtutes proponit. Quot humo-  
res ambitionis extenuat & dissolvit? quot capita  
superbiæ morbo laborantia ad pristinam sanita-  
tem revocat; dispensans eruditionem, cuius fama  
quò excelsior clariusq; enitescit, hoc minus videri  
typit; nō aliter ac Sol, qui quò altior est minores  
umbras jicit. quot caninis malevolorum, impo-  
storum, invidorum, calumniatorum mortibus  
præsens remedium confert? dum vel illorum vi-  
tulenuam compescit, vel prorsus despiciat ui du-  
cit, nullum esse rata præstantius ultionis genus,  
quam cum risu ad instar Socratis suis convicijs in-  
teresse, rebusq; ipsiis ac moribus calumniam con-  
futare. Dies piter mihi advocandus esset in subsi-  
dium, si omnia hujus ROSÆ emolumenta re-  
cepisse deberem. Confortat cor ROSA om-  
nium medicorum judicio; confortat ACADE-  
MIA mentes nostras, dum omnia aduersa invi-  
cto animo sustinere svadet. Sedat ROSA ventris  
profluvium; sedat ACADEMIA actionum præ-  
cipitantiam & temeritatem; dum prudentiam, ni-  
hil vagum, nihil desultorium, nihil præcox aggre-  
dientem commendat. Sanat caput ROSA; sanat  
caput mentis ACADEMIA, spem nempè no-  
stram (juxta Paulum 1. ad Thessalonic. 5.) dum  
eam tepidam, ad ima dejectam erigit, & ad supe-  
riorum fiduciam sublevat. Illuminat oculos cor-  
poris ROSA, illuminat animi oculos ACADE-  
MIA,

MIA , visum nempe spiritualem Divinorum in-  
struzione clarificans , interiores tenebras dispel-  
lens , calligantem intellectum , Divinorum arcanoru-  
m luce illustrans , ac rerum humanarum vanitatem  
ad oculum demonstrans . Quis vero ingentia &  
tanta , tum animi , tum corporis , tum fortunae bo-  
nae , tam exiguo tempore circumscripto sermones  
complecti potest ? absque quibus , fremant , rum-  
pantur , crepent hujus ROSÆ mastiges , Urbe  
hæc & Provincia vix tamdiu vitam humanam tra-  
xisset , absq; quibus nomine tenus à morte distasset ,  
absq; quibus , nil nisi merum inferni vestibulum  
repræsentasset ; quædum solertia mente verso ,  
nihil aliud hanc Academiam Urbi & Provincia  
huic plusquam per bina secula fuisse cerno , quā sva-  
veolentem salutaremque ROSAM . per quam an-  
tiqua prioritas nil nisi bonum , nil nisi salubri-  
num indicare voluit . Sed vix è memoriā non ex-  
cedit quo j̄m sermonem finio , quodycè ACA-  
DEMIAM hanc , ROSAM fuisse non obscurius  
alijs declarat . ROSÆ odorem licet superis ac  
mortalibus gratissimum non omnes perferunt .  
Non pertulerat illam inter alios , magnæ apud sc̄-  
dem Romanam auctoritatis Oliveriu Cataffa  
Cardinalis , Rosarum tempore quotannis secede-  
re , & se intrâ suos quos in Quirinali habebat hor-  
tos occludere coactus , custodijs ad ostia dispositis ,  
nè quis accedentium rosam inferret . Non pertu-  
lerat romanâ nobilitate & eruditione insignis

Petrus

Petrus Molinus; cā majorem in modum offendit solitus. Intet insecta autem sordidissimus vermis Scarabaeus in solo stercore meras delicias habens; odorem ejus non patitur, sed illo subito enecatur. Deus Bone. quotiam Academis hæc experta est semper, vel quot experitut hodie, qui non vitio naturæ, cui magnis licet dotibus consipieua absq; culpa succumbit mortalitas, verum vitio mentis mortalitatem & odio depravatæ, odorem ejus & ROSA junciorem tolerare neq; viverunt, immo qui præclata quæq; facinora velut Scarabæi amœna transeunt, solis abusibus, nævis si tamen nævis, velut Scarabæi cæno obhærescentes, sordes suas ei affricare exoptarunt, nimia eam libertatis vel petulantiae satius insimulantes, mores ejus corruptos perstringentes, ex privilegijs prævilegia facere afflantantes; iñsipienter arbitrati id malum debere haberi, quod culpam aliquorum male audit, vel illud, quod præstanter utiliter tantoperè culpandum esse; arbitrati ROSAM hanc ideo damnandam, ideo è finibus Orbis Christiani exterminandam, quia à quibusdam de honestamentis (quod deploramus) splendor ejus obumbratur famaq; afflatur. quasi vero quis sancti sincipitis, exinde ignem quod incatum adurat, aquam quod improvidum suffocet, Solem & lunam benefica sydera quod alicui noceant jure reprehendat, sine quibus nihilominus vita mortaliū diu durare nequit. Verum ROSA hæc locci facit capitales etiam suos hostes; nunquam  
enig

enim tantum poterit eorum conspiratio, ut ab in-  
genita generositate recedat, invidiaeque gratiam, o-  
dore sua virtutis famamque; neglecto atque parivelit.  
Ne pili quidem aestimatae fœdatis Scarabæorum co-  
hortem. Ridet, adeo assurgens sublimitate suatum  
dotum supra eorum fatalem luem; rideat inquam  
frustraneos eorum corratus, nihil nisi mortes & fu-  
nera eorum, tum suam famam odore, tum tremendo  
DEI judicio enecatorum & enecandorum aspi-  
cit; ab illorum justâ internectione majorem cele-  
britatem sumit; sumetque non dubito, ac à mortali-  
tate seipsum vindicans, omnes malevolos, invidos,  
suis rebus florentissimis, velut Scarabæos maturis  
frugibus obesse nitentes, extinctos & extinguen-  
dos cernens, in seram æratem vigebit & florebit.  
Quam ego iam jure merito (ut perspexit) flore  
Rosæ fragrantis selecto vinciens hodiernâ luce,  
diemque ejus natalem religiosâ hac solennitate  
venerans, æmulator Romanam Gentem, magnum  
quondam cultum (ut Rosinus lib. 2. antiq. Roman.  
c. 20. refert) Deæ cuidam FLORÆ, Rosæ & alio-  
rum florum protectrici exhibentem, festaque  
FLORALIA in honorem ejus celebrantem;  
æmulator inquam, & superstitioso ritu in Chri-  
stianum commutato, non futili illi ac commentæ  
Divæ; verum TIBI Vere & Maxime Deus om-  
nium rerum Conditor ROSAM hanc devotissime  
commendo, ut quæ ad hodiernam diem suam  
venustatem inter totæ ruminas per Te unicum suum

con-

conservatorem non perdidit , eam ad ultimam illam totius mundi metam , ab omni malo noxiog; sydere tuta conservet ; germinet in hujus Urbis & Provinciae prosperitatem ; germinet in totius Orbis Christiani ornamentum ac emolumentum . TIBI etiam Cœlestis Pater suppliciter devoveo ILLUSTRISSIMOS AC CELSISSIMOS cum totâ Provinciâ PRINCIPES MEGAPOLITANOS , ut & AMPLISSLIMOS PRUDENTISSIMOS cum totâ Urbe CONSULES ET SENATORES , hujus ROSÆ fragrantis ac salutaris plantatores , nutritios , patronos clementissimos , benignissimos ; ut sub eorum auspiciatis per ætatem in longinquis annos proœctam favoribus & beneficijs , beatè & tranquilliter ROSA hæc dies suo transigat . TIBI ad extremum SALUS ET TUTELA omnium rerum certissima submissè exhibeo afflictam Germaniam tot cladi bus , incendijs , depopulationibus , horrendis lanienis obtric tam ; miserere extremi fermè singultusejus , lachrymosa tot annorum suspiria clementer exaudi , in antiquū decus splendoremq; restitue ; & cum sat litatum sit sanguini & carnis lanienæ , tribue illi pacem publicam , verum illud Nepenthes in tristitia hujus ævi , ut hæc ROSA nostra , hoc cruento & prolixo bello miserè labefactata , magis vigeat , magis floreat , majores fructus Orbi Christiano salubres producat .

(ALLO-

**A E L L O C U T I O A L**  
**Phœbum & Musas.)**

**V**OS jam lætæ cum suo Phœbo Musæ,  
quæ relictis Heliconis sui amoenitati-  
bus, hodiernam ROSAM BAL-  
THICAM veneraturæ venistis, eius-  
que hodiernum natalem diem, jucundo  
concentu, devoto observantiæ & amo-  
ris erga eam simulacro honorastis; idem  
jam, ad immortalem ejus gloriam, & ad  
vcstram non minorem laudem, à po-  
testeritate sincerâ deprædican-  
dam continuante.

**SOLI DEO ALTISSIMO**  
**Gloria.**

Musa  
cenita  
BAL  
s, eius  
cundo  
amo-  
; idem  
& ad  
apo-  
1.

MO

**A L L O C U T I**  
*Phæbum & T*

**V**os jam lætæ cum suo  
quæ relictis Heliconi  
tibus , hodiernam R O  
T H I C A M veneratur  
que hodiernum natalem  
contentu, devoto obser  
ris erga eam simulacro ha  
jam, ad immortalem ejus  
vestram non minorem  
testitatem sincerâ de  
dam continu

— o —


**S O L I D E O A L**  
*Gloria.*

Q I J





conservatorem non perdidit, iam totius mundi metam, ab o  
sydere tuta conservet; germine  
Provinciae prosperitatem; ger-  
bis Christiani ornamentum a  
TIBI etiam Cœlestis Pater su  
ILLUSTRISSIMOS AC CE  
totâ Provinciâ PRINCIPES  
NOS, ut & AMPLISSLIMOS  
MOS cum totâ Urbe CONSI  
TORES, hujus ROSÆ fragr  
plantatores, nutritios, patronos  
benignissimos; ut sub eorum au  
tem in longinquo satinôs prove  
beneficijs, beatè & tranquillite  
suo transfigat. TIBI ad extre  
TUTELA omnium rerum certi  
hibeo afflictam Germaniam to  
dijs, depopulationibus, horren  
tam; miserere extremi fermè sing  
mosa tot annorum suspiria clem  
antiqyū decus, splendoremq; re  
litatum sit sanguini & carnis la  
pacem publicam, verum illud N  
itia hujus ævi, ut hæc Rosa nostra  
prolixo bello misere labefactata,  
gis floreat, majores fructus Oth  
bres producat.



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 1000